

non sufficiant. — 90. Immo neque potest Episcopus dispensare, ut quis retineat tertium Beneficium simplex, etiamsi esset de Jure patronatus. — 91. Episcopus non potest Beneficiatis reddere nova onera in fundatione non apposita, aut a Sacris Canonibus non imposita. — 92. Episcopus non potest primam Præbendam vacantem assignare pro Pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi Theologalis. — 93. Episcopus non potest conferre Canonicatus Pœnitentiariæ, et Theologales, nisi per viam concursus. — 94. Episcopus non potest sine consensu Capituli Canonicatum de novo erigere. — 95. Episcopus non potest transferre in Cathedrali Cappellanos habentes servitium Chori in Cappella prope Cathedrali existente, ob parvum numerum Cappellanorum, propter quod minus decenter ibidem Chorus retineatur. — 96. Episcopus non potest ad privationem procedere ob non susceptos Ordines contra Canonicos suæ Ecclesiæ absque solemnitate a Concilio præscripta. — 97. Episcopus non potest cogere, sed hortationibus invitare Clericos, et Presbyteros non Confessarios ad interessendum conferentiis casuum conscientiarum. — 98. Episcopus, alique Prælati, et Superiores Monasteriorum Monialium Clausuram ingredi non possunt, nisi in casu necessitatis, et non nisi sociati a paucis, senioribus, et Ecclesiasticis viris. — 99. Unde non potest Episcopus secum ducere ullos Laicos essentialiter, et socios. — 100. Adducitur, et solvitur instantia. — 101. Propter necessitatem tamen, et ad promovendam utilitatem Monasterii poterit Episcopus secum ducere aliquos peritos Laicos. — 102. Non potest Episcopus secum ducere in Clausuram plusquam octo personas. — 103. Affertur ratio. — 104. Episcopus contrafaciens Dispositioni d. Constitutionis Gregorii XIII, pro prima vice incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda incurrit suspensionem a munere Pontificali et a Divinis, et tertia, ac deinceps incurrit excommunicationem ipso facto absque ulla declaratione. — 105. Absolutio ab istis Censuris est Papæ reservata. — 106. Episcopus nequit delegare simplici Sacerdoti facultatem benedicendi Sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale privilegium Sedis Apostolicæ. — 107. Episcopus non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis Professionis Monialium. — 108. Episcopus, et quilibet alius Superior Ordinarius in his transgressor tenetur ad restitutionem, et si minus excedat summam decem Scutorum, nequit absolvi neque a Summo Pœnitentiario, nisi facta restitutione. — 109. Episcopus, qui habet congruam pinguem excedentem taxam a Concilio præscriptam non potest exigere charitativum subsidium. — 110. Episcopus non potest prohibere, quod Judices Synodales, aut Capitulum non valeant uti opera alterius Notarii, quam Cancellarii Episcopalis præterquam in Visitatione. — 111. Immo nec etiam quoad Moniales pro instrumentis Depositorum. — 112. Quinimmo nec etiam pro conficiendis Censuum, et aliorum quorumcumque contractuum. — 113. Episcopus, sive ejus Delegatus non potest pro revisione computorum locorum piorum mercedem, seu propriam exigere, sed gratis hoc munus tenetur implere, non obstante quacumque contraria consuetudine. — 114. Episcopus non potest pro administratione Sacramenti Confirmationis in locis Diœcesis procuracionem exigere. — 115. Episcopus non potest taxare in pecunia id, quod pro victu necessario sibi contingeret visitando, sed victualia tantum recipere debet, neque alia utensilia, vecturas equorum, et expensas prætere. — 116. Episcopus non potest permittere, nec concedere, ut Confessarii ingrediantur clausuram Monialium pro funere peragendo. — 117. Episcopus non potest permittere, quod Puellæ educandæ recipiantur in Monasterium sine licentia Sacræ Congregationis. — 118. Episcopus non debet auferre Monialibus jus, quod habent eligendi Officiales. — 119. Neque debet,

et potest Episcopus tale jus auferre Laicis, qui illud habent. — 120. Episcopus non debet, nec potest cogere simplices Sacerdotes, qui non habent Officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, ut inserviant ibi in functionibus, seu munere Diaconi, et Subdiaconi, non obstante exiguo numero Canoniorum. — 121. Episcopus non debet Clericis permittere ludum alearum. — 122. Et a fortiori non debet Episcopus ipse aleis ludere. — 123. Quid non possit, nec debeat Episcopus quoad Regulares, et Moniales. *Remissive.* — 124. Episcopus nequit prohibere Clericis, ne conveniant Laicos in causis profanis coram Judice Laico. — 125. 173. Supplementa Auctoris e III Editione. — 174. 180. Novissimæ Additiones ex aliena manu.

ARTICULUS VII. — *Episcopus, quoad ea quæ concernunt Episcopum Regularem, Titularem, et Suffraganeum.*

1. Episcopus Regularis a die confirmationis, et assumptionis ad Episcopatum liberatur ab obligationibus suæ Regulæ. — 2. Non absolvitur tamen a Votis essentialibus, sed solum est exemptus quoad aliquos effectus Paupertatis, et Obedientiæ juxta decentiam status. — 3. Episcopi Regulares illarum Religionum, quæ ultra tria vota essentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum Votum essentialiter, ut est votum vitæ Quadragesimalis apud Minimos, tenentur etiam ad illud, nisi specialiter a Sede Apostolica dispensentur. — 4. Episcopus Regularis tenetur Habitum suæ Religionis deferre. — 5. Retento tamen colore habitus suæ Religionis, potest se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, seu figura. — 6. Canonici autem Regulares S. Augustini in Episcopos promoti possunt uti habitu, quo utuntur alii Clerici sæculares in Episcopos creati. — 7. Episcopus Regularis tenetur recitare Officium juxta ritum suæ Diœcesis, et non juxta ritum suæ Religionis. — 8. Episcopo tamen ex Ordine Fratrum Minorum de Observantia assumpto conceditur, ut possit recitare tuta conscientia Officia Sanctorum Ordinis S. Francisci, et celebrare eorum Missas, dum modo privatim celebret in sua Cappella dictis diebus Sanctorum Ordinis cum Missali Romano, et Officium pariter recitet cum Breviario Romano. — 9. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare Officium, et in propriis Cathedralibus Missam celebrare et Altare Beatis prædictis erigere. — 10. Episcopus Regularis recuperat Jus successione ad hæreditatem sibi delatam post promotionem, non obstante renunciacione. — 11. Episcopus Regularis non acquirit Monasterio, cui fuit filius, sed propriæ Mensæ, seu Ecclesiæ quoad proprietatem; ad proprium tamen commodum quoad usumfructum. — 12. Episcopus Regularis post adeptum Episcopatum non recuperat bona ante Episcopatum jam tertio quæsitæ. — 13. Frater Minor factus Episcopus auctoritate Papæ recuperat Jus succedendi ab intestato, et ex testamento. — 14. Episcopo Ordinis Fratrum Reformatorem S. Francisci conceditur facultas disponendi de bonis intuitu suæ personæ acquisitis in quoscumque usus pios convertendis, et etiam ad favorem consanguineorum, et affinium, si Sanctissimo placuerit. — 15. Episcopus Regularis, si sit negligens in exigendo bona hæreditaria, vel eis renunciet, tunc succedit Ecclesiæ proprietaria, et pro ea Capitulum potest agere, dum tractatur de præjudicio Ecclesiæ, et Episcopatus. — 16. Episcopus Regularis adeundo hæreditatem sibi delatam potest sibi præjudicare quoad usumfructum, non autem quoad proprietatem, quæ fuit acquisita Ecclesiæ. — 17. Regularis factus Episcopus debet relinquere Religioni, vel Monasterio totum id, quod ante promotionem in Religione acquisivit, et habuit. — 18. Episcopus Regularis non subjicitur Bullæ de largi-

tione munerum. — 19. Episcopus Regularis, si ad suam Religionem redierit, dignitates, et officia illius obtinere prohibetur. — 20. Episcopus Regularis, si Episcopatum resignet, aut ob culpam deponatur, dummodo non degradetur, non tenetur ad Regularem observantiam redire, sed remanet in perpetuum exemptus, sicut prius. — 21. Episcopi Titulares antiquitus non creabantur. — 22. Modo tamen passim creantur. — 23. Episcoporum Titularium nulla origo reperitur ante decretum Concilii Lateranensis. — 24. Episcopi Titulares sunt veri Episcopi. — 25. Episcopus Titularis non potest exercere Pontificalia nisi in illa Diœcesi, cui datus est suffraganeus. — 26. Neque in locis exemptis, nisi de licentia Episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus fuerit constitutus. — 27. Neque potest Episcopus Titularis in Ecclesia sua jurisdictionali, veluti si esset Præpositus, Chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines Præpositura existit. — 28. Neque potest Episcopus Titularis familiarem suum etiam triennale ordinare absque sui proprii Episcopi expresso consensu. — 29. Immo ordinati ab Episcopo Titulari sine consensu proprii Episcopi, ipso jure suspensi sunt, donec proprio Prælati visum fuerit. — 30. Et ipse Episcopus Titularis Ordines conferens seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii Diœcesani est suspensus per annum ab usu Pontificalium. — 31. Episcopus Titularis non est creandus, nisi urgeat necessitas. — 32. Invectiva Glossæ in eos, qui anhelant ad Vicarias Episcoporum, et Ecclesias Titulares. — 33. Episcopus Titularis. — Canonice obtinens in Ecclesia Cathedrali, potest, et debet in ea uti habitu Ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rochetto supra subtanam, et Mantelletto violacei coloris. — 34. Et

ARTICULUS I.

Episcopus quoad ejus nomen, originem, et dignitatem.

(1. Nomen Episcopi est nomen græcum idem importans, ac latine *speculator*; cap. *Cleros* § *Episcopus* dist. 21. vel *superintendens*; cap. *Qui Episcopatum* 8 quæst. 1. cap. *Legitimus* dist. 93 (1). Præcipuum enim Episcopi munus est gregis sibi commissi mores, et vitam explorare, et inspicere. Unde S. Ambrosius de *Dignitate sacerdotum* cap. 6. Episcopatum dici censet, quasi perinspectorem, ideoque et in solio eum in Ecclesia editiori residere, ut et cunctos respiciat, et a cunctis respiciatur. (2.) Episcopus vocatur *Summus Sacerdos* ratione Ordinis, ad differentiam simplicium Sacerdotum; cap. *Deus*

(1) Jam multis ante Christiana tempora *Episcopi* nomen et apud Græcos, et apud Latinos erat in usu: non tamen eadem vis apud omnes huic voci suberat, nec isdem erat addicta muneribus. Is Romanis erat Episcopus, qui annonæ præerat; ille vero Atheniensis, qui civitates Athenis subditas statis lustrabat mensibus, quo eas et in fide, et in officio contineret. Inde Episcopi appellatio invecta in Ecclesiam est, præeuntibus maxime sacris Novi Testamenti Scripturis, iisque indita potissimum, qui et Clericis erant, et Presbyteris Præfecti, quod eorum esset oppida, urbes, regiones integras lustrare; identidem Fideles, Clericos, Presbyteros officii sui admonere; præcepta, leges, canones cuique pro suo vita: genere præscribere; omnesque et verbis, et exemplo ad pietatem erudire. (EDIT. BARBIELL.)

(2) In eadem sententiam S. Augustinus de *Civit. Dei* l. XIX, c. 19. aiebat, «Episcopatum nomen esse oneris, non honoris. Græcorum enim est, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur,

debet præcedere omnibus aliis Canonicis, et Dignitatibus tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi Missas et omnia alia. — 35. Episcopus Titularis, qui est Canonicus, subest Visitationi Ordinarii adinstar aliorum Canoniorum, et tenetur ad observantiam Legis Diœcesanæ, aliter subjicitur poenæ etiam Excommunicationis in ea contentæ. — 36. Familiares etiam Episcopi Titularis gaudere debent privilegio Fori, ita tamen ut conveniri debeant, et sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, et non ab Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari. — 37. Beneficia, et Pensiones non vacant in eo, qui ad Titularem Episcopatum assumitur, cui etiam de novo conferri possunt præsertim simplicia. — 38. Episcopus Titularis est de Jure vocandus ad Concilia generalia. — 39. Episcopus Titularis administrator alterius Ecclesiæ, quas functiones in illa facere possit, et quomodo teneatur ei assistere Canonice Cathedralis? Dantur ad hoc decem dubia cum suis resolutionibus, ad n. 40. — 41. Pro Episcopo Titulari obtinente Canonicatum in Cathedrali dantur octo dubia cum suis resolutionibus. — 42. Episcopi Titularibus præcedunt Episcopi locales, etiamsi posteriores sint Consecratione. — 43. Episcopus, cui datus est Coadjutor, potest esse Coadjutor alterius. — 44. Episcopus suffraganeus datus Episcopo cum facultate exercendi Pontificalia Officia in civitate, et Diœcesi de expresso consensu Episcopi pro tempore existentis, mortuo Episcopo, et Sede vacante, non potest eadem Pontificalia exercere, Capitulo contradicente. — 45. Unde mortuo Episcopo illius suffraganeus Ordines conferre non potest. — 46. Alia de Episcopo suffraganeo. *Remissive.* — 47. 97. Additio Auctoris. — 98. 101. Supplementa Auctoris e II editione. — 102. 106. Alia e III editione. — 107. 114. Additiones novissimæ ex aliena manu.

ergo 3. q. 1. cap. *Videntes* 12. q. 1. cap. 1. § *Per fontis, de Sacram. Unct.* (3) Episcopus enim congrue dicitur Sacerdos Summus, quia ultra suum Ordinem nullus est alius Ordo; cap. *De his cap. Munus, de Consec.* dist. 5. nam Episcopatus est maximus Ordinum, qui sint in Ecclesia Dei. *Gloss. verb. Episcopus* in proemio lib. 9. *Decretal. Gloss. verb. de Episcopis* in cap. *Quia periculosum, de Sentent. Excomm.* in 6. (3) Episcopus dicitur *Præsul*, quia Concilio præsidet; cap. *Quod translationem, de Temporib. Ordin.* (4) Dicitur *Antistes*, quia ante alios stans, præminet populo, et est primus templi, et Diœcesis Sacerdos; § *Nos autem, Instit. de Attiliano Tutore*, leg. *Si quemquam*, et leg. *Decernimus Cod. de Episcopis, et Clericis*, Calvin. v. *Antistes.* (5. 4) Dicitur Pontifex, cap. *Ponti-*

eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens. In Psalmum quoque 126, eadem spectans, «altior, inquit, in Ecclesia locus positus est Episcopo, ut veluti in specula constituti, superintendant, et custodiant populum.» (EDIT. BARBIELL.)

(3) Tertul. 1. de *Bapt. c. 17.* «Dandi quidem Baptismi habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus.» Hieronymus eodem titulo Episcopos ornat *Dial. contra Lucifer.* ubi ait: «Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet.» Hinc etiam *Principes Sacerdotum* Episcopos vocavit antiquitas. Vide Ambrosiastrum in *Epist. ad Eph. c. 4.* et Hieronymum ep. 28 et 99, ad *Asellam.* (EDIT. BARBIELL.)

(4) *Cyprianus Relig. Antistes:* ita Pontius Diaconus in ejus Vita. Tertullianus quoque lib. de *Corona milit.* cap. 3. «Aquam adituri ibidem, sed et aliquando prius in Ecclesia sub *Antistitis* manu contestamur.» (EDIT. BARBIELL.)

fices 7. quæst. 1. cap. *Messana, de Elect.* cap. *Quia periculosum de Sentent. Excomm.* in 6. Pontifex enim, ut ait Scævola, relatus a Calvino verb. *Pontifex*, est sic dictus a *posse*, et *facere*, quia, ut Alciatus arbitratur, jus illi erat sacrificandi; facere enim apud veteres sacrificare est, et Episcopus potest sacrificare, et facere sacrificare per Sacerdotes, quos efficit, et ordinat. (6. Appellatur interdum *Legatus Christi*, ut in cap. *Accusatio* quæ in fin. 2. quæst. 7. et in Clement. 1. § *Nec super, de Pænis*. Episcopus enim tamquam Christi Legatus destinatur ad regendas animas.

(7. Vocatur propriissime *Pastor* ab officio quod habet pascendi Oves sibi commissas verbi Dei prædicatione, ac Sacramentorum administratione, ut Pastoris Officii esse proprium docet, et monet et sæpius inculcat Concilium Trident. sess. 6. *de Reformat.* cap. 1. et sess. 23. cap. 1. (8. Vocatur etiam *Præco*, quia annuntiat populo scelera eorum; cap. *Sit rector* 1. distinct. 43. (9. Vocatur item *Medicus*, ut sciat attemperare vinum oleo in curandis vulneribus; cap. *Disciplina* 9. dist. 44. (10. Vocatur *Lucerna* super Candelabrum posita, *Matth.* cap. 5. ut omnibus luceat probitatis, et doctrinæ radiis. (11. Vocatur *Sal terræ*, *Matth.* eodem cap. 5. ut condiat aliorum mores sapientissimis institutis, et præceptis. (12. Dicitur *Angelus*, *Luc.* 9. quia mittitur ut Nuncius prædicaturus verbum Dei. (13. Vocatur *Sanctissimus* in *Authentic. de Sanctissimis Episc.* coll. 5. et in Clement. num. 1. § *Nec super, de Pænis*, quia cum Episcopus debeat alios sanctos efficere, oportet, ut sit prius Sanctissimus, et potius exemplis, quam verbis populum sibi commissum ad sanctitatem alliciat, et provocet: Unde recte *Eccles.* 2. dicitur: *Ab immundo, quis mundabitur?* cui conceit illud S. Gregorii lib. 7. *Moral.* «Manus sordida aliam non lavat, et oculus plenus pulvere maculam non considerat; ita mundus debet esse, qui vult aliena corrigere.» (14. Hinc communiter tenetur, quod status Episcopalis perfectior sit, quam status Religionis, et Episcopus debet esse Sanctior Religioso; nam, ut inquit S. Dionysius de *Eccles. Hierarch.* cap. 5. «Pontificum quidem Ordo consummatus est, et perfectivus: Sacerdotum autem illuminativus, et lucidativus; Ministrantium vero Purgativus, et discretivus;» *Fagnan.* lib. 1. in cap. *Nisi cum pridem* 10. *de Renunciatione* n. 6. et 7. (1)

(15. Ordo Episcopalis quamvis quoad rem seu essentiam sit unus solus, ex Anacleto Papa *Episc.* 3 (2), etc. Novatianus 6. caus. 7.

(1) De his, aliisque pluribus honorificis titulis, quibus Episcopi olim compellabantur, agunt copiose Viri eruditissimi Mamachus *Orig. et Ant. Christian.* Tom. 4. lib. 4. cap. 4. § 1. et Selvaggius *Ant. Christ.* lib. 1. cap. 12. § 4. Unum moneo, hos inter titulos illum sæpius apud veteres occurrere, quo Episcopi *Successores Apostolorum* prædicantur. Atque in eo quidem præsidium sibi quaerunt quicumque cum Febronio Romanis Pontificibus æquare Episcopos student; frustra tamen, si quoniam legitimo sensu Apostolis succedant Episcopi, absque partium

quæst. 1. tamen quoad nomen, et gradum est quadripartitus; textu expresso in cap. *Cleros* 1. dist. 21. § *Ordo Episcoporum*, ibi: «Ordo vero Episcoporum quadripartitus est, id est in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis.» Sic tenent *Fagnan.* lib. 1. *Decretal.* in c. *Requisivit de ordinatis ab Episcopo*, qui n. 1. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 6. num. 4. (16. Patriarcha est nomen græcum idem importans, ac latine Summus seu Princeps Patrum, id est Episcoporum, cit. c. *Cleros*, verb. *Patriarchæ*, dist. 21. (17. Patriarchæ præcipui, et veri in principio fuerunt tantum quatuor, scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, cap. *Antiqua, de Privilegiis*; cap. *Renovantes*; cap. *Definitus* dist. 22. cap. *Grave nimis de Præbend.* et *Extravagant. Sacrosancta Romana Ecclesia, de election. inter Communes*, ubi Benedictus XI sic expresse scribit: «Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum a Deo, utpote Mater universorum Christi fidelium, et magistra, quatuor Patriarchales sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, et Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipsasque multis prærogativis, et honoribus, ac privilegiis decoravit (3).» (18. Præter dictos quatuor primarios reperuntur etiam alii Patriarchæ non ita principales, videlicet Græcensis, seu Venetus, Patriarcha Indiarum, et Patriarcha Æthiopiæ, cum aliis de quibus Glossa in cit. c. *Cleros* 1. dist. 21. verb. *Archiepiscopi*, et novissime institutus est novus Patriarcha Ecclesiæ Ulissiponensis Occidentalis de anno 1716, a Clemente XI, Constitutus incipient. *In supremo Apostolatus solio*.

(19. Patriarchæ, et primates, late sumpto vocabulo, idem sunt, licet differant nomine. Colligitur ex cap. *Provincia* 1. dist. 99. ibi: «Ipsius quoque in Civitatibus, vel locis nostris Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges Divinæ, et Ecclesiasticæ poni, et esse jussunt;» et cap. *Nulli* 2. ead. dist. 99. ibi: «Nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas sedes tenent, quarum Episcopos Apostoli, eorumque Successores regulariter Patriarchas, vel Primates esse constituerunt;» et cap. *Duo simul* 9. *de Offic. Ordinar.* ibi: «Cum sit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil Juris præ cæteris habere, nisi quantum,» etc. Unde Glossa in cap. *Coram* 7. *de in integrum*

studio disquiratur. Qua de re præter antiquiores consuli poterit Zaccaria in *Antifebronio* Tom. 2. p. 154, sequ. atque in *Antifebronio vindicato* T. 1. p. 454, sequ. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Isidoriana hæc sunt quæ reticere præstaret. (EDIT. BARBIELL.)

(3) In principio non quatuor, sed duo tantum fuerunt veri Patriarchæ, videlicet Alexandrinus, atque Antiochenus. Benedict. XIV. *De Synodo Diocesana* lib. 2. cap. 4. § 7. et Dominicum Macri in *Hierolæx.* verb. *Patriarcha.* (NOT. EX EDIT. ROM.)

restit. verb. *Super primaria*, auctoritate cit. cap. 1. et cap. 2. dist. 99. sic concludit: «Primatia, et Patriarchatus una tantum dignitas est, licet nomina sint diversa;» et Glossa in cit. c. *Duo simul* 9. *de Off. Ordinar.* verb. *Patriarcha*, sic etiam concludit: «Diversitas in nomine est, dignitas eadem.» (20. Strictè tamen loquendo Primates non idem habent Officium eandemque auctoritatem, quam habent Patriarchæ: ut late ostendit Barbosa lib. 1. *Juris eccles. univ.* cap. 6. a n. 10. et sequentib. Et conclusio Glossæ ex citatis Canonibus, quod nulla detur realis differentia, sed solum verbalis, inter Primates et Patriarchas, est intelligenda de Patriarchis minoribus, et non de supradictis primariis qui vere et realiter distinguuntur, ut notat Gigas *de resignat. Episcop.* cap. 18. n. 5. Gonzal. ad regul. 8. *Cancellar. Gloss.* 41. num. 14. Frances *de Eccl. Cathedral.* c. 1. num. 81. (21. Unde primates rigore loquendo dicuntur nonnulli Metropolitanis, qui primarias tenent Civitates, et majores regunt Metropoles. Sic Bituricensis Archiepiscopus est primas in Burdigalensi Provincia, ut de ipso fit mentio in cap. *Conquestus* 9. qu. 3. (22. Archiepiscopus Pisanus vocatur Primas Sardiniae, et Corsicæ, ut notat additio marginalis ad Glossam in c. *Definitus* dist. 22. Archiepiscopus Toletanus, et Archiepiscopus Bracharensis contendunt de Primatu Hispaniæ, ut fit mentio in c. *Coram* 7. *De in integrum restit.* et pro utroque varii varia scripserunt, ut videre est apud Barbos. loc. cit. num. 48. Sic in Galliæ Provinciis ultra Archiepiscopum Bituricensem, se Primates appellant Archiepiscopus Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, et Viennensis. Hiberniæ Primas est Archiepiscopus Armacanus; Angliæ Cantuariensis; Scotiæ Archiepiscopus S. Andreae; Africae Carthaginensis; Hungariæ Strigoniensis; Poloniæ Gnesnensis; Germaniæ olim Magdeburgensis, nunc vero Salsburgensis. (1)

(23. Metropolitanus sic dictus a *Metros*, quod idem sonat ac *Mater*, et *Polis*, quod idem sonat ac *Civitas*, est ille, qui residet, et Episcopatum gerit in Metropoli, seu Ci-

(1) Vide supra V. *Exarchi, et Primates* (a).

(2) Conc. Antioch. Can. 9. per singulas regiones Episcopus convenit nosse, *Metropolitanum* Episcopum sollicitudinem totius Provinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Caterum ex consuetudine potius, quam ex aliquo Ecclesiastico canone factum est, ut sicuti Episcopi, qui primarias regerent metropoles, *Patriarchæ*; vel *Exarchi* dicerentur; ita qui uni tantum præerant Provinciæ, *Metropolitæ* nuncuparentur. (EDIT. BARBIELL.)

(3) Non hodie, aut nudius tertius ortum est hoc Archiepiscoporum genus nullos habentium suffraganeos. Fuit nempe, ut animadvertit vir doctus Canteleus in *Metropolitanarum Urbium historia* P. 1. diss. 1. cap. 4. duplex apud Græcos *Archiepiscopi* notio; prima usurpata sæpius prioribus sæculis, quibus qui multas suo nutu regebant provincias, ut ab aliis discernentur, *Archiepiscopi* sæpe appellati

(a) *Metropolis* græcum nomen a *meter*, sive *matr.* et *polis*, *civitas* num. 24. *Arche* significat enim, qui imperium obtinet, ducem; *arche*, sive *Archi*, principium,

vitæ præcipua, quæ est veluti Mater, seu Matrix aliarum Ecclesiarum, seu Civitatum totius Provinciæ: Metropolis enim caput Provinciæ appellatur; l. 4. § *Ingressus*, et l. 7. ff. *de Offic. procons.* l. 6. ff. *de Excus. tutor.* l. unic. Cod. *Ut omnes inde*. Unde Provincia cui præest Metropolitanus decem aut undecim Civitates, et totidem Episcopos suffraganeos olim sub se continere solebat; c. *Scitote* 2. caus. 6. qu. 3. *Glossa* in c. *Clericos* 1. dist. 21. v. *A mensura*. Nunc vero constitutio d. c. *Scitote*, abiit in desuetudinem, et numerus Episcoporum major vel minor decem aut undecim fuit constitutus in unaquaque Provincia sub Metropolitanis, prout singulis magis expedire in dies videbatur, ut recte observat Petrus Gregor. *Syntagm. Juris* lib. 15. c. 11. num. 3 (2).

(24. Archiepiscopus sic dicitur tanquam primus, seu Princeps omnium Episcoporum suæ Provinciæ; *Archos* enim est nomen græcum, quod latine significat *primum* vel *Principium*; c. *Cleros* 1. dist. 21. verb. *Archiepiscopus*, (25. et Archiepiscopus sic captus idem est ac Metropolitanus, ut innuit Ordo Romanus tit. *Qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur*, ut tradit Barbosa cum pluribus aliis loc. cit. cap. 7. n. 4. et deduci potest etiam ex c. *Pastoralis, de Offic. ordinat.* et *Extravag. Salvator, de Præbend. inter communes*, c. *Referente, de præbend.* ibi: «Ad Metropolitanum, videlicet Rhemensem Archiepiscopum.» (26. Non tamen omnis Archiepiscopus est semper Metropolitanus, sicuti omnis Metropolitanus est semper Archiepiscopus; Dantur enim varii Archiepiscopi, qui nullos suffraganeos habent ut inter alios sunt Rossanensis, et Lancianensis Archiepiscopi, ut notavit Barbosa loc. cit. cap. 7. num. 6. et de ipsis, et aliis patet in notitia supra adducta omnium Archiepiscopatum, et Episcopatum. Tales enim Archiepiscopi nullos habentes suffraganeos, licet sint vere, et realiter Archiepiscopi, non tamen vere sunt Metropolitanus ut ex Barbosa et Azorio recte notat Frances *de Eccl. Cathedral.* c. 1. num. 114. (3) (27. Quid autem possit Metropolitanus,

sunt, sive Patriarchæ essent, sive Exarchi: altera posterioribus sæculis obtinuit. Inductus est enim novus Archiepiscoporum ordo, priori nomine quidem similis, re vero multo inferior, cum ii nec provincias haberent, nec suffraganeos Episcopos; sed nudo nomine, honoris causa, *Archiepiscopi* dicebantur. Causam invecæ hujus disciplinæ paucis exequor. Cum paulo ante Chalcedonense Concilium nonnullis Episcopis indulisset Theodosius junior, ut Archiepiscoporum iuribus deinceps uterentur, idque Metropolitanis ægre ferentes ad synodum detulissent; Synodus jura illa ex consensu iudicium rata esse vetuit: ne illud tamen ferrent acerbis, iis datum est, ut *Archiepiscopi* nomen, et *Presbyteratum* retinerent. Hinc labente sensim disciplina, in Provinciis plures et Metropolitanis, et Archiepiscopi creati sunt, adeoque crevit eorum numerus, ut in Leonis sapientis *Diatyposi* Metropolitæ 81, Archiepiscopi 59, vel uni Patriarchæ Constantinopolitano

imperium. Consulito Nicolaum Du Mortier in Opere inscripto *Etymologia sacra Græco-Latina*, Verb. *Metropolis*, et Verb. *Archiepiscopus*. (EDIT. BARBIELL.)

seu Archiepiscopus in suos suffraganeos, vide verb. *Archiepiscopus* art. 1.

(28. Episcopus, ut jam fuit dictum n. 1, est nomen Græcum idem significans ac latine *Speculator*, cap. *Cleros* § *Episcopus* dist. 22, *Superintendens*, c. *Qui Episcopatum* 8, quæst. 1. c. *Legimus* 24, dist. 93. Et sub nomine Episcopi Ecclesia semper eos intellexit, qui sunt Presbyteris superiores; cap. *Decretis*, dist. 21, ubi: «Simpliciter majorum, et minorum Sacerdotum discretio in novo Testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui duodecim Apostolos, tamquam majores Sacerdotes, et septuaginta duos discipulos, quasi minores Sacerdotes, instituit.» (29. In locum vero Apostolorum Episcopi, et in locum discipulorum Presbyteri successerunt, cap. *In novo* 2, dist. 21, et c. *Quorum vices* 6, dist. 68. (30. Et quamvis in primitiva Ecclesia Episcopi, et Presbyteri non distinguerentur quoad nomen; c. *Olim* 6, dist. 93, ibi: «Olim idem erat Presbyter, qui et Episcopus;» Tamen quoad rem semper fuit distinctio inter ipsos etiam tempore Apostolorum in primo exordio Ecclesiæ; Sic expresse S. Thomas in 2, 2, q. 184, art. 6, ad primum, ibi: «De Presbytero, et Episcopo dupliciter loqui possumus, uno modo quantum ad nomen, et sic olim non distinguebantur Episcopi, et Presbyteri; nam Episcopi dicuntur ex eo, quod superintendant, sicut dicit Augustinus 19, de Civit. Dei: «Presbyteri autem in Græco dicuntur quasi seniores.» Unde et Apostolus communiter utitur nomine Presbyterorum, quantum ad utrosque, cum dicit 1 ad *Timoth.* 5: *Qui bene præsent Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, et similiter etiam nomine Episcoporum, unde dicit *Actor* 20, Presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ loquens: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Sed secundum rem semper inter eos fuit distinctio etiam tempore Apostolorum, ut patet per Dionys., c. 4. *Ecclesiast. Hierarch.* et *Lucæ* 10, super illud: «Post hæc autem designavit Dominus,» etc. Dicit *Glossa*: «Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic et in septuaginta duobus discipulis forma est Presbyterorum secundi Ordinis; Postmodum tamen ad schisma vitandum necessarium fuit, ut etiam nomina distinguerentur, ut scilicet majores dicerentur Episcopi, minores autem Presbyteri;» Dicere autem Presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæretica numerat Augustinus in lib. *de Hæresibus*, ubi quod «Ariani dicebant Presbyterum ab Episcopo nulla differentia

subditi numerentur. Iis tamen Archiepiscopis nec major quam antea jurisdictio permissa, nec major potestas, nihilque omnino præter inanem Archiepiscopi titulum concessum est. Cautum immo erat, ut in omnibus, itidem ac meri Episcopi parent Metropolitibus; donec anno circiter 1080, ab Alexio Comneno sancitum est, ut Archiepiscopi deinceps, haud aliter ac Metropolitani a Patriarcha Constantinopolitano ordinarerentur; sicque extitit in Græcia novus Archiepiscoporum ordo, qui Episcopis erat potestate par, superior dignitate, utraque inferior

debere discerni (1).» (31. Et Episcopus tam in potestate Jurisdictionis, quam in potestate Ordinis superiores esse Presbyteris expresse declarat Concilium Tridentinum, sess. 23, c. 4, et ibidem Canon. 6, subjicit anathemati contrarium dicentes, ibi: «Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem... anathema sit.»

(32. Episcopus appellatur *Ordinarius*; c. *Pastoralis* 11, de *Offic. Ordinar.*, quia ordinariam in sua Diocesi habet jurisdictionem. Barbosa, lib. 1, *Juris Ecclesiast. univers.* c. 8, num. 47. (33. Appellatur *Diocesanus* respectu, et ratione suæ Diocesis, id est Civitatis, et Territorii Episcopalis, cap. *Statuto* 2, § *Diocesanus*, de *Decimis* in 6. Clement. unic. de *supplenda Negligent. Prælator.* Clement. 1, de *Jurepatron.* (34. Ejus autem Ecclesia Episcopalis dicitur Cathedralis, quia ibi Cathedra Episcopalis, et Sedes sita est; Archidiacon., in cap. *Statutum*, col. 1, de *Rescript.* in 6, et quia ejus ratione Episcopus recipit Cathedralicum; cap. *Conquerente* 16, de *Offic. Ordinar.*, et cap. *Pastoralis* 7, de *Donationibus*. (35. Dicitur *Suffraganeus* respectu Metropolitanæ, seu Archiepiscopi, cui subditur; cap. *Suffraganeus* 11, de *Electione*; c. *Pastoralis* 11, de *Offic. Ordinar.* c. *Romana Ecclesia* 4, de *foræ compet.* in 6. Vel quia suffragium in ejus electione præstare consueverant Episcopi, vel quia suffragantur ipsi in Officio Episcopali, scilicet in consecrando alios Episcopos, in celebrando Concilia, et hujusmodi. Abbas, in c. *Suffraganeus* 11, de *Election.*, num. 1. Barbosa, loc. cit., num. 46.

(36. Chorepiscopi non erant Episcopi, nec eorum Ecclesiæ erant Cathedrales; cap. *Ecclesiis* 3, dist. 68, ibi: «Inter Episcopos autem, et Chorepiscopos hæc est differentia, quod Episcopi non nisi in Civitatibus, Chorepiscopi et in Vicis ordinari possunt; Episcopi formatas tribuunt literas, et Chorepiscopi non nisi Commendatitias, et pacificas dare valent; Episcopi Jus consecrandi habent, Chorepiscopi tantum Minores tribuunt, Leviticam autem, et Sacerdotalem benedictionem non valent præstare;» cap. *Quamvis* 4, ead. dist. 68, ibi: «Quamvis Chorepiscopis, et Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispensatio; quædam tamen sibi prohibita noverint, sicut est Presbyterorum, Diaconorum, et Virginum consecratio, constitutio Altaris, ac benedictio, vel unctio, siquidem nec erigere Altaria, nec Ecclesias consecrare eis

Metropolitibus. (EDIT. BARBIELL.)

(1) Protestantes, demptis Episcopibus Anglis, ac præsertim David Blondellus, Claudius Salmasius, Joannes Franciscus Buddeus hæreticum hoc dogma propugnarunt, atque propugnanti, sed eos ex nostris plurimi refellerunt, Bellarminus, Petavius, Morinus, Natalis Alexander, Tournelius, Drouven de *re Sacrament.* T. II, lib. 8, sect. 6. Mamachus T. IV *Origin. et Antiquit. Christian.* cap. 4, § 2, p. 316. seq. et ne longior sim, Selvaggius lib. 4. *Ant. Christ.* cap. 12, § 1, 2 et 3. (EDIT. BARBIELL.)

licitum est, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conversis hæreticis Paraclitum Spiritum Sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in Missa quemquam poenitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere. Hæc omnia illicita sunt Chorepiscopis.... *Quoniam quamvis consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent*, et concordat c. *Chorepiscopi* 5, ead. dist. 68. (37. Chorepiscopi præficiuntur solum Villis, et Oppidis; cit. c. *Ecclesiis* 3, dist. 68, idque vox illa græca *Chore*, quæ latine idem importat ac *Villanus*, seu ruralis, pagum item, seu Villam significat. Episcopi autem in Villis, pagis, seu locis inferioribus collocati nunquam fuerunt; c. 1, de *Privileg. c. Episcopi* 3, dist. 80, ibi: «Episcopi non in Castellis, nec in modicis Civitatibus debent constitui;» c. *Illud sane* 4, ead. dist. 80, ibi: «Illud sane quod ad Sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque Castellis, et ubi ante non fuerant, Episcopi consecrentur;» c. *Non debere* 5, ead. dist. 80, ibi: «Non debere in Vicis, et in Castellis Episcopos ordinari.» Et Zacharias I, *Epist.* 9, ad *Bonifacium* sic ait: «Memineris quid in Sacris Canonibus præcipitur observare, ut minime in Villulas, vel modicas Civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi.»

(38. Chorepiscopi erant Vicarii Episcoporum, et in Oppidis, et in Villulis gerebant curam animarum vice ipsorum, eodem fere modo, quo nunc Parochi. Petrus Gregor. *Syntaxm. Juris*, lib. 15, c. 12, a num. 44, usque in finem, Barbosa in *Collectan.*, ad text. in cap. *Quamvis* 4, dist. 68, num. 6. Antonius Ricciulus *Lucubrationum Ecclesiasticarum* lib. 2, c. 2, n. 2. Bellarm., in *Contravers.*, tit. de *Cleric.*, lib. 1, cap. 17, tom. 1. *Controv.* 5. Frances de *Eccles. Cathed.* c. 1, num. 131, et alii. (39. Conferebant Ordines minores, textu expresso in cit. c. *Ecclesiis* 3, dist. 68, § *Inter Episcopos: Chorepiscopi tantum Minores tribuunt, Leviticam autem, et Sacerdotalem benedictionem non valent præstare*. (40. Aliqui eorum consecrabantur, et creabantur Episcopi, et isti non solum Ordines minores, sed et majores conferebant, et alia munia Episcopalia obibant, non ex vi Chorepiscopatus, sed virtute Ordinis Episcopalis, ad quem erant promoti et consecrati, et sic vice Episcoporum ministrabant, sicuti faciunt hodie Episcopi Titulares, seu Coadjutores, et de istis solis Chorepiscopis in Episcopos consecratis loquuntur Canones Conciliorum, ut constat ex Antiocheno, *can.* 10, tom. 3. *Concil.*, pag. 1322, et intelligendi sunt Doctores asserentes Chorepiscopos fuisse olim eosdem ac sunt hodie Episcopi

(1) Quæ Auctor de Chorepiscopis illorumque origine, et gradu per sese minime Episcopali docet, si ea demas, quæ ad illorum munera spectant (cui enim Parocho, vel Vicario Foraneo ea unquam tributa potestas fuit, qua Chorepiscopos præstitisse constat), confirmat Selvaggius l. c. cap. 15. Reole tamen a

FERRAR. III.

Titulares, seu Coadjutores, ut recte observant Bellarm., loc. cit., vers. *Respondeo quosdam fuisse*, Ricciulus, loc. cit., num. 8. Barbosa, loc. cit. num. 2. Frances, loc. cit., n. 133 (1). (41. Chorepiscopi fuerunt aboliti, et ablati ab Ecclesia Dei ob illorum insolentiam, et ambitionem qua Episcoporum officia sibi temere usurpabant, et ne tertius Ordo in Ecclesia poneretur, cum Christus Dominus duos tantum gradus in Ecclesia instituerit, Episcoporum videlicet, et Presbyterorum, et Chorepiscopi de primis, scilicet Episcopis, non fuerint; et secundi Ordinis, scilicet Presbyterorum, officium despicerent; c. *Quamvis* 4, dist. 68, ibi: «Hi vero, scilicet Chorepiscopi, propter insolentiam suam, qua officia Episcoporum sibi usurpabant, ab Ecclesia prohibiti sunt;» c. *Chorepiscopi* 5, ead. dist. 68, ibi: «Chorepiscopi tam ab Sacra Sede, quam ab Episcopis totius Orbis prohibiti sunt: nimis enim eorum institutio improbat est, et prava, quia etsi de summo Sacerdotii ministerio aliquid præsumant, omni tamen auctoritate carent. Nam non amplius quam duos Ordines inter discipulos Domini esse cognovimus, id est duodecim Apostolorum, et septuaginta duorum Discipulorum; unde iste tertius processerit ignoramus, et quod ratione caret, extirpare necesse est,» et sic Barbosa, loc. cit., num. 5 et 6. Frances, loc. cit., n. 54 et 142. Bertachin., tract. de *Episcop.* in præl., num. 4, et alii passim (2).

(42. Quamvis Apostolos omnes a Christo Domino fuisse ordinatos Episcopos sit valde controversum, ut patet ex pluribus traditis a Cardin. Bellarm., de *Romano Pontifice*, lib. 4, c. 13. Soto, in 4, dist. 24, quæst. 2, art. 1, concl. 2. Diana, *Resol. Moral.* part. 12, tract. 3, resol. 80, et id videatur inferri ex verbis Divi Augustini, in lib. *qq. Veter. et Nov. Testam.* 2, q. 97, ibi: «Nemo ignorat Episcopos Ecclesiis Salvatorem instituisse; Ipse enim priusquam Cælos ascenderet, imponens manus Apostolis instituit eos Episcopos, et ordinavit.» Tamen communior opinio tenet solum Petrum fuisse immediate ab ipso Christo Domino Episcopum consecratum. Bellarm., lib. 1, de *Summo Pontifice*, c. 23. Turrecremata, lib. 2. *Summa de Ecclesia*, c. 32. Barbosa, in *Collectan.*, ad textum in c. *In novo* 2, disp. 21, n. 5. Henriquez in *Summa de Sacram. Ordin.*, l. 10, c. 4, § cum sequent. Frances de *Ecclesia Cathedral.*, c. 1, num. 13. Fagnanus, lib. 1, de *Requisivit* 1, de *Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit*, n. 18 et 85, et alii passim arg. c. *Porro* 2, dist. 68, ubi dicitur, Jacobum Alphæi fuisse ordinatum Episcopum ab Apostolis Petro, et Jacobo, et Joanne. (43. Sanctus Petrus alios Apostolos in Episcopos consecravit, ex quibus primi fuerunt filii

me addita T. II. hujus *Bibliothecæ* p. 159. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Sicuti tamen in Occidente serius quam in Oriente Chorepiscopi instituti sunt, ita quoque serius in Occidente esse desierunt. (EDIT. BARBIELL.)